
De Aeschyli Eumenidum ratione et consilio.

Disquisitio philosophica.

Mirum videri possit primo obtutu, quid sit, cur tot saeculis praeterlapsis Graecorum tragediis adhuc delectamur, et recenti semper animo, tanquam divina mentis incitatione commoti, eas pertractamus, praesertim cum vel inter ineruditos constet, notiones, quibus continetur antiquitas, a nostra cogitandi ratione plane esse diversas. Attamen, quamquam totius antiquitatis mores in alios plane mutati sunt, quamquam universa mentis animique cultura aliam sequuta est rationem, tamen servatum est aeternum aliquod et inexstinctum, quod Platonis voce *ἰδέας* appellamus, quam accuratius indagare nostris praecipue temporibus contigit viris doctis. Est vero eximia pulchritudinis species, quam Graecorum artis opera patefaciunt, qua perpetuo delectamur, cujusque praeclaro studio ita involvimus, ut cura et sollicitudine, quas vita quotidiana uberrime affert, in intuenda graecae artis dignitate et venustate plane liberemur.

Quamvis enim religiosa evanuerit veneratio, qua veteres in contemplandis artis operibus fruebantur, ea tamen, quibus nititur oblectatio, in vitam revocari possunt, non quidem sensibus objectam, sed cogitationis vi perceptam. Nostrum igitur est operam dare, ut, cum veterum studeamus poetis, universam operis notionem, quam ideam dicimus, per-

serutemur et singularum partium cum totius operis ratione arctissimum vinculum percipiamus. At perraro adhuc hujusmodi studium! In singulis enim haerere viris doctis plerumque gratissimum est. Quare mirari desinamus, cur membrorum societas inter ipsa eorumque conjunctio cum notione, quam sibi explicare proposuit poeta, tam raro cogitationi subjiciatur.

At vel summa judicii acies in singulis tantum abest, ut totius operis vim et naturam intelligat, ut nimia saepe subtilitate et argutiis inducatur, talia improbare, qualia accuratius introspecta rationi operis optime respondent et cum eo arctissime cohaerent.

At longe difficilior est praestantiam operis, poetaeque sapientiam intelligere, quam argutis, quae sibi aliquis ipse finxit, argumentis auctorem reprehendere, aliamque ei praescribere viam. Huc accedit, ut hac ratione vel summi poetae ingenium superasse videamur, cum nos potius pietate quadam insignem poetam aggredi deceat, persuasos, illum non temere aliquid instituisse. Honestius enim est ante omnia de nostra judicii acie dubitare, si forte huc, vel illuc offendimur, quam in improbando sagacitatem suam ostentare,

Non hoc tetigissem, nisi nostris temporibus viros summae auctoritatis et optime de Gracorum literis meritos vel in explicando Sophocle in hanc improbandi et corrigendi vanitatem incidisse viderem. Hujusmodi subtilitatem responsum mihi nihil in sequente disquisitione erit potius, quam ut tragœdiae praestantiam et poetae in explanando opere sapientiam agnoscam et intelligam.

Omnium antiquitatis tragœdiarum vix ulla reperiatur, cuius ratio et consilium accuratius verbis exprimi possit, quam Aeschyli Eumenides, ultima tetralogiae fabula, quae animum tristitia et horrore commotum,

quibus in Agamemnon et Choephoris scelerum gravitate, animique impetu erat affectus, ad tranquillitatem revocare, et sedare studet. Eumenides igitur non ut antecedentes tragoediae infinitum relinquunt certamen, sed spectatoris mentem placant. Jam vero, cum animi dolorem Agamemnon et Choephoris commotum, delinire studeant Eumenides, necesse cum antecedentibus arctissime cohaereant. Est igitur Eumenidum facinorum culpam cum jure eorum pensitare, qui ardenter animi impetu incitati scelus commiserunt. Quapropter in judicium vocantur pariterque accusantur sclera uxoris, quae maritum fraudibus irretitum interfecit, et filii, necem patris sororisque vexationes matris caede ulciscuntur.

Apparet igitur sanctitatem matrimonii et filii erga patrem pietatem esse opposita, in quorum certamine Eumenidum versatur fabula. Quare quum nascatur pugna, utrum Orestes, unicus totius Pelopidarum gentis superstes sit damnandus an solvendus et aequo de summa matricidae culpa ac de ultioris jure disceptetur, non homines controversiam tollere possunt, sed deorum arbitrio reliquendum est judicium. Dii igitur ipsi inter se certent et suam ipsius rem uterque sibi vindicet necesse videtur.

Certamen vero, quod Eumenides apud Aeschylum ineunt cum Apolline respondet gravi illi bello, in quo priscae vetustatis Dii, a Jove devicti et imperio, quod diu tenebant, privati sunt. Jovis autem, quam de antiquissimis diis reportavit victoria, mentis simul et institutorum ratione et libertate profectorum est victoria de naturae viribus iisque omnibus, quae ex innato quodam appetitu oriuntur. Fabula nostra hanc notionem universam optime illustrabit.

Eumenides Orestem agitant propter caedem maternam, omne hujus sceleris piaculum respuentes. Apollo vero non ignorans, se ipsum infe-

licem Orestem ad scelus impulisse, eum furiarum manibus eripere studet. Expellit igitur diras et saevientes Deas, quae Apollinis contaminant templum. Orta inde de Oreste controversia Eumenides se nunquam sceletatum matrocidam esse dimissuras jurant, Apollo se exagitatum cruciatibus liberaturum despondet.

Eumenides tueruntur summam inter matrem et filium necessitudinem, quae e naturali fonte, procreationem dico, originem petit, et violatam illam conjunctionem ulciscuntur, Apollo contra non ignorans, unde formidolosum consilium cepit Orestes, eum contra Eumenidum vexationes defendit. Ipse enim Deus Orestem impulit in turpissimam patris caedem vindicandam. Matrimonii igitur sanctitate commotus vindex exstitit. At matrimonium, quum a libera voluntate proficiscatur et voluntario partium amore contineatur, non igitur naturae sed hominum arbitrio beat originem, ab Apolline, honestissimae conjunctionis antistite, defenditur.

Huc accedit, ut mulier ad matrimonium ineundum nata in hac uxoris conditione acquiescat, et fidem ergo maritum sanctissimam sibi dicat legem. Clytemnestra igitur, quae marito internecato nefarie conjunctissimam hominum consociationem impugnavit poenam a Deo ipso constitutam effugere non potest. Apollinis hortatu matris caedes ab Oreste patrata est. Clytemnestra autem ab Eumenidum ira et insectatione vacat, tum, quoniam non de amoris conjugalis violatore faciunt judicium, tum, quod Clytemnestra a filio necata Eumenidum imperio jam sublata est. Mors enim furiarum vexationibus finem imponit.* Hinc grave illud inter Apollinem et furias certamen.

*) Hoc sensu respondent Eumenides Minervae interroganti:

Καὶ τῷ κτανόντι ποῦ τὸ τέρμα τῆς φυγῆς;

**Οπου τὸ χαίρειν μηδαμοῦ νομίζεται.*

Jam vero cum de Oreste damnando et solvendo pugnam ineant Apollo et Eumenides, et Orestes patris necem ulciscens in impietatis crimen inciderit Dii quoque certantes non culpa carent, cum neuter eorum oppositum sibi jus respiciat, sed temere quisque propositum suum prosequatur. Eumenides enim ad pietatem foedatam iratum attendentes animum, nihil curant offensam matrimonii sanctitatem, qua commotus Orestes matricidium patravit. Quare jure illis objicimus, Clytemnestrae contra maritum facinus ab iis negligi. Jam vero cum de pristino uxorius crimine nullo modo cogitent sententiam paulo cupidius ferunt una tantum parte auditam. Non ea igitur vacant culpa, quae semper nos vexare solet, ubi neglecta altera parte oppositae parti solam tribuimus auctoritatem. Apollo autem matrimonii custos declarat Clytemnestrae necem fuisse justissimam. At non satis reputat, filium fuisse, qui poenas a matre petierit, et hoc modo justitiam in vindictam detorsisse, unde novum exortum sit crimen. Pariter igitur culpae ac Eumenides Apollo particeps fit, Orestis causam dicens, neglecto plane pietatis jure. Hoc modo certamen inter pugnantes inextricabile videtur, cum Apollo aequa ac Eumenides tenacissime propositum suum consequantur, utroque certantium jus et auctoritatem alterius funditus aspernante.

Quae cum ita sint, nunquam Orestes culpa posset liberari, nisi summa divinae legis extaret auctoritas, quae oppositas sibi leges ab Apolline et furiis defensas ita exaequare sciatur, ut ipsa, ab omni partium studio aliena, utriusque partis agnoscat jus ideoque inter acerbe dimicantes gratiam componat. Minervae igitur quam felicissime poeta partes imposuit Orestem matricidam et patris vindicem absolvere crimine et ita demum scelerum seriem in atroci Pelopidarum gente terminare.

Tum enim Minerva divinae mentis et sapientiae particeps, tum propter summam humanitatem et benignitatem omnium aptissima est,



quae deliniat dolorem animumque sedet. Hanc divinae sapientiae cum benignitate conjunctionem praeclarissime poeta noster, cum Graecorum mythologia niteretur, in Minervae partibus ante oculos animosque nobis proposuit. Nonne in Minerva Graecorum intuenda imago nostro obversatur animo, quae pugnantia secum frontibus adversis complectitur?

Minervae praesentia igitur statim imago quaedam non longe petita in animum nostrum incurrit, quae opposita sibi amplectens summam divinae legis notionem nobis excitat. Summam vero dicimus legem et auctoritatem, quae certantium partium jus diligentissime perpendit et in agnoscenda utriusque ratione summam sese exhibet justitiam. Neque ignorat Apollo divae virginis praestantiam et Orestem ipse ad Minervae templum Athenis rejicit. At judices, ad quos gravissima illa causa confertur, necessario inter liberandum et damnandum Orestem fluctuant et inter pietatis et matrimonii laesi crimen ancipi Marte pugnant. Jus igitur per se spectatum causam Orestis controversia decidere non potest, quippe quum jus et injuria medium teneant. Minerva igitur, quae, sine ira et studio, virtutem sibi oppositarum honestatis legum perspicit, clementiae benignitatisque momento causae discriben facit. Divae enim virginis est Orestem furiarum vexationibus eripere et cruciatum ejus animum delinire.

Quo Iubentius autem Apollo Minervae adnuit benignitati, eo saevius eam increpat Eumenides, cum sese contemni existiment, neque noctis filiabus divinae clementiae agnoscendae sit potestas. Quid igitur? Deam ipsam, quae auctoritate sua reum absolvit, atrociter adeunt, et quam sibi contumeliam censem Orestis liberationem ulcisci student. Furiarum autem exacerbatio candidam et intactam virginem adtingere non potest, cum aliis legibus obdiat Minerva, quam Eumenides. Quamvis autem Dea ipsa furiarum iracundia intacta maneat, tamen furorem

sese effusuras esse vehementer minantur, et quam Minerva habitet terram, beatam honoratamque sedem Athenas, miseriae et detestabili pesti sese praedae daturas jurant.

Quemadmodum vero in liberando Oreste conjunctissimam sapientiae et justitiae cum benignitate societatem in medium protulit Minerva, eodem modo jam iratissimae Eumenides, diu pertinaciter reconciliatione denegata, divina Deae mente devincuntur. Ita in Minervae sedem, cui mala minitati sunt funesta benigne excipiuntur. Minerva enim ingeniosissime Eumenidum, quod persecutae sunt, agnovit jus, easque cum dilectissimis Athenis reconciliavit. Hic laeto animo acquiescimus et e pertinacissimo discrimine ad beatam revocamur pacem et ad mentis excelsam tranquillitatem, summam eorum, quae quis e verae tragoediae studio sibi parare potest.

Experti sumus totius inter Apollinem et Eumenides pugnae rationem et quomodo finem ei imposuit poeta explicare, id potissimum animo reputantes, ut tragediae nostrae, quibus contineatur, notiones universas intelligamus. Jam erit secundae partis Aeschylei tragediam pauclo accuratius indagare, ut appareat, quam sapienter poeta omnia instituerit et quam mirifice singula quoque universae, quam exposuimus, rationi respondeant.

Prima pars tragediae Delphis, altera Athenis agitur. Praefatur Pythias sacerdos, Apollinis templum vaticinandi causa ingressura. At non Euripidis more agit prologum, qui non raro extrinsecus tantum cum sequentibus conjunctus est, sed statim rapimur in medias res. Pythiae prologus enim easdem enumerat imperii vicissitudines in gubernando oraculo, quas secundum mythologiam Dii ipsi erant experti. Priusquam enim Apollo nactus erat oraculi imperium terra et justi-

tia, ad priscum Deorum genus pertinentes, antistites oraculi antecesserunt.

Jam templum ingressura furias conspicit Pythias et terrore percussa Apollinis aedes statim tanta corporis affectione relinquit, ut nec viribus p[re]teresse valeat, nec perterrita pedem ferre queat. *) In maximam perturbationem conjecta verbis nobis depingit virum cruxis humani guttis respersum et manus sanguine recenti stillantem. Humi jacent furiae, quibus appropinquare periculum est, odiosam ex oculis stillantes vim et tali vestitu induitae, qualem nec ad deorum simulacra in sacrificiis afferre fas est, nec ad hominum aedes. **) Sapientissime poeta hoc Pythiae, quo percutitur, terrore furiarum vim expressit et insignitam earum imaginem ad animum nostrum retulit, quae iis, quae sensibus sunt tradita et impressa longe antecellunt. Quemadmodum Homerus, verae et perfectae poeseos princeps, quam pulcherrimam nobis ante oculos dicit Helenam ita depingit, ut animi affectum perspiciamus, quem senibus Trojanis excitaverit, apud Aeschylum, eorum, qui audiunt animi permoventur, cum depingantur Eumenides tales, quales vel dormientes horrendo adspectu Pythiae incutiant terrorem. Scena laudata simul auditorum animi ita sunt comparati ut tragœdiae nostræ postulat tenor.

Jam pro ratione fabulae nostræ postulatur, ut, Eumenidum imagine conformata, earum adversarius Apollo prodeat in scenam, quem perterrita Pythias invocat, cum Iustrare et purgare valeat. Apollinis praesentia perturbatus animus quodammodo sedatur. In describenda furiarum natura indignabundum conspicimus Deum, qui ab earum causa plane abhorret et totus se Oresti dedit liberando. Odiosae igitur Apollini

*) Eumenid. v. 33—37.

**) Conf. v. 46—56.

puellae vetulae noctis filiae omni cum diis hominibusque commercio exclusae sunt. Jam Orestem ad Minervae templum proficisci jubet Deus ipse, quem non fugit se non habere facultatem Orestis expandi. Hoc modo ad Minervam relegamur, quae hinc animo nostro gratiae reconciliatae auctor obversatur.

Jam vero cur dormientes finxerit Eumenides poeta magni momenti videtur. Nonne oblivio doloris, qua tam diu fruitur Orestes, quam in Apollinis templo versatur, furiarum somno declaratur? At simul earum impotentia indicatur sopore, quo invitae vincuntur, quippe quum animi cruciatus sedentur cum Deum precibus adeat homo. Supplex ad Apollinis tutelam confugerat Orestes. Poenitentia fractus autem furiarum vexatione solutus est.

Orestes igitur, cum ad templum supplex accedat, summo animi ardore, quo totum se dedidit Deo tutori, furiarum iram consopivit. Simulac templum reliquit, inexorabiles Deae exsurgunt et Orestem flagitant propter caedem maternam. Clytemnestrae umbra furiis dormientibus exprobrat quod passae sint matricidam aufugere. Aeschylus scena laudata, ut in antecedente, quam exposuimus, eos, qui in mente ipsa animoque vigent affectus sensibus admovit. Quae igitur Clytemnestra furiis crimi dat ad Chori ipsius conscientiam referenda sunt, Clytemnestrae enim umbra Chorum excitat, ut pristinam, quam Orestis precantis in templo praesentia represserat iram, de integro effundat.

Clytemnestra vero furiis exprobrante sese esse neglectam aequem furiarum ac Orestis poeta declaravit conscientiam animique affectum. Nam Clytemnestrae umbra furiarum somno offensa specie simul furiis per somnum oblatae habet vim. Expergientes vero furiae renovatam contra Orestem iram nobis declarant, Oreste autem templo, quo furi-

rum saevitia vacabat, decadente, Clytemnestrae umbra statim propter oblivionem exprobrat Eumenides. Quo simul renovatum dolorem Orestis ac furiarum contra matricidam revocatam saevitiam nobis depinxit poeta.

Clytemnestrae objurgationem excipit Chori canticum, cuius vehementiam nobis frequentes versus dochmiaci exprimunt. Modo sese ipsas increpat, modo se ab Apolline delusas queruntur. Non sine causa respiciunt furiae ad Deorum ordines sibi oppositos. Apollinis enim et furiarum certamen ad pugnam inter Deos vetere aetate et genere et Deos ex Jovis familia esse referendum jam supra exposuimus. Quapropter Apollini crimini dant eum, cum juvenis sit novusque deus, veteres Deas proculcasce deorumque contemtorem et parentibus infensem eum dicunt.*⁾ Eumenides ex antiquiore deorum ordine eas tantum tuerunt necessitudines, quae a natura ipsa proficiscuntur. Harum inter matrem et liberos conjunctio gravissima est, quae pietatis vinculo continetur. Hanc illaesam servare necessitudinem laesamque ulcisci solum dicunt jus et fas, neque possunt, quin Apollinem, matrimonii offensi ultorem, omnibus contumeliis vexent. In vindicanda enim necessitudine inter conjuges fraudulenta caede contaminata nihil nisi immanem sibi ab Apolline illatam intelligunt vim.

Furiae, matrimonii rationis et dignitatis plane expertes, quippe quae mutua voluntate nitatur ex animique consilio originem petat, hebetes sunt ad intelligendum jus Apollinis. Recentiorum deorum potestatem violentiam nefariam vocant. **⁾

*⁾ Eumenid. v. 145—149 et v. 164—166 gravissima verba:

*Παρὰ νόμον θεῶν βρότεα μὲν τίων,
Παλαιγενεῖς δέ Μοίρας φθίσας..*

**) Eumenid. v. 156. 157.

Ac ne quis putet temere nos notiones explicasse, quae non in mentem venerint poetae sequentem scenam paulo accuratius indagemus cum eaque loca conjungamus, quibus potissimum oppositarum partium naturam evolvere possumus.

Apollo furiarum saevitia abhorrens templo suo eas expellit, et illo se conferre jubet, ubi exerceuntur vindictae capita abscedentes, ubi jugulationes, ubi mutilatio, et lapidatio. Poeta exquisitissima humanae crudelitatis exempla coacervavit, quibus tum furiarum rabiem, tum Apollinis declararet indignationem.*⁾ Jam utraque pars tenacissime ad jus suum provocat. Quare Choro objurganti, quod oraculo matricidam prescripserit, respondet Apollo: Patris vindictam ei mandavi**) non in matris caede immorans. At tum recentes Deos sancti matrimonii custodes invocans furias aspere interrogat: Quid enim? Nonne par sit, mulierem, quae maritum occiderit a propinquo mutua perimi caede? Tum sane nihil valerent quae sub auspiciis Junonis et Jovis junguntur foedera conjugalia. Tori enim consortium marito et uxori sacrum esse debet et ipso jure jurando sanctius colendum,***⁾

*Τοιᾶντα δρῶσιν οἱ νεώτεροι θεοί
Κρατῶντες τὸ πᾶν δίκαιον πλέον.*

*) Eumenid. v. 175—180.

**) V. 194 Chorus: "Εχρησας ὥστε τὸν ξένον μητροκτονεῖν.
respondet Apollo:

"Εχρησα ποιας τὸν πατρὸς πέμψαντιμήν;

***) Eumen. v. 202. 203 Apollo dicit:

*Tί γάρ; γυναικὸς ἡτις ἄνδρα νοσφίσῃ
Οὐκ ἀν γένοιθ' ὅμαιμος αὐθέντης φόνος;*

Sic enim legendum. Secundum versum nonnulli choro tribuunt, ut Pauw. Abresch. Glasg. Both. Schwenk. Wellauer, ita ut sensus verborum hic sit:

Jam relinquunt scenam Eumenides et Apollo. Scena Delphis Athenas transfertur. Quo exemplo nobis perspicue probatur nec temporis unius diei angustias nec loci terminum immutables Graecis fuisse leges. Observarunt quidem eas plerumque, sed non nisi externa rei necessitate ducti. Quod paeclare Aristoteles in libro de arte poetica mihi indicasse videtur, ubi de temporis spatio, quo tragoeadia differt a carmine epico, pauca exposuit. (cap. V.) Tragicorum paecipue audacissimus Aeschylus illas ex externis causis desumptas leges excessit. In Agamemnone enim constitutum terminum temporis scenici, in Eumenidibus loci angustias excessit. At quid amplius addam, cum jam Lessingius in sagacissimo libro, quae temere de unitate temporis et loci apud Graecos erant concepta plane removit. (*Lessings Dramaturgie* 1 p. 361.) Quomodo scenicam mutationem instituerint Graeci doctissime demonstravit **Ottfr. Müller** in disquisitione, quam nostrae tragoeiae interpretationi addidit. (*Über die äussere Einrichtung der Eumeniden* p. 106 107.)

Orestes in templo Minervae conspicitur, ubi supplex Deae simu-

Quaestioni Apollinis nondum finitae Chorus per occupationem occurrit. Apollo interrogat: Num mulieris, quae suum ipsa maritum obtruncavit? Chorus autem interrogationem interrumpit sententia: Neque ejus caedes a consanguineo perpetrari debet. Sed ratiocinatio talis furis plane aliena est. Concederent enim quodammodo Clytemnestram jure esse necatam, et propinquum tantum ut caedis auctorem vituperarent. At tali distinguendi subtilitate Chorus abhorret, nihil respiens, nisi vim Clytemnestrae a filio illatam. Optime vero ad Apollinem quadrat sententia, si versus conjuncti leguntur. Apollo enim matrimonii sanctitatem exponere vult, et orationem suam interrogatione orditur: Nonne par est, mulierem quae maritum occiderit, a propinquuo perire? Defendit igitur legem, qua familiam turpissime ab uxore laesam, ab ipsius familiae parte puniri fas sit. Tum ad matrimonii transit notionem. Hanc lectionem sequuntur sunt Stahl, Heath, Wakefield, Schütz, Ottfr. Müller.

Iacrum veneratur. Paulo post furiae eum consequuntur, quae initio quidem Orestem oculis nondum conspicunt, sed ex vestigiis sanguinis eum hand procul abesse conjiciunt. Procul est a nostro consilio Chori canticum ingens accuratius indagare. Peculiarem desideraremus disquisitionem ad intelligendam Chori structuram, et quam mirifice metra cantici argumento respondeant. Ad fabulam igitur revertamur.

Coram Minerva Orestes accusatur, neque non agnoscit Dea rei eulpam. Ab Apolline igitur differt, qui Orestis jus prorsus confirmat. Minerva, summae sapientiae et justitiae praeses, neque supplicem Orestem propellere, neque furias dimittere potest. Quare quum inter Orestis et furiarum partes fluctuet Minerva in neutram partem moveri potest. Juratos igitur caedium judices legens consilium in sempiternum tempus constituit.

Omnium antiquitatis tragoeiarum vix ulla reperiatur, in qua poeta tam ingeniose fabulam ipsam, cum politico consilio et omnino heroicorum temporum rationes cum temporis sui republica conjunxerit, quam Aeschyli Eumenides. Inter omnes constat, Aeschylum quam maxime semper abhorruisse ab omni rerum novarum studio et strenuos mores, et antiquam honestatem summo cum ardore defendisse. Hoe sensu tum in Persis, tum in septem adversus Thebas tecte significaverat Aristidem *), qui, honestissimus antiquae strenuitatis patronus, Atheniensium populi imperio sese opposuit, ne ad furorem multitudinis licentiamque converteretur. Gravissimus autem veterum morum custos erat Areo-

*) In Persis Aristidis res gestae imprimis in lucem proferuntur. In Septem adv. Thebas versus de Amphiarai justitia et moderatione v. 574—576 ab omnibus, qui audiunt, ad Aristidem relati sunt. (Plut. Aristid. 3. Ἀποφθέγμ. Βασιλ. p. 116 Hutton, conf. Ottfr. Mülleri librum laudatum p. 120.)



pagus, judicium consulto ita constitutum, ut multitudis potentiae resisteret.^{*)} Gliscente autem populi omnium rerum potestate Areopagi quoque auctoritas Ephialtis lege fracta est, qua de gravissimo suo jure decidere coactus est.^{**)} At verisimile est, tempore, quo Eumenides aetiae sint, (Olymp. 80, 2) Ephialtis rogationem nondum in legem esse mutatam. Vix enim poeta Areopagum dixisset institutum in sempiternum tempus constitutum, nec unquam judicium illud esse interitum praedicasset,^{***)} si tunc temporis Areopagi auctoritas plane fuisse debilitata. Non fallimur, ut opinor, si Aeschylum magna quidem sollicitudine cruciatum

^{*)} Quamvis non in dubitationem vocari possit, quin jam ante Solonem Areopagus constitutus sit (*Matthiae de judiciis Athen.* p. 142—148 et *Wachsmuth Hellenische Alterthumskunde* 1. 1. p. 264) tamen a Solone auctus et in consilium publicum mutatus esse videtur, cum antea fuisse modo judicium. *Plut. in Solone* cap. 19, unde collendum, judicia de causis capitalibus jam ante Solonis tempora in Areopago esse exercitata. Res quibus praesidebat accurate enumeravit *Wachsmuth* l. c. additis veterum testimoniois.

^{**) In quo constiterit Areopagi, quam Ephialte expertus est, conversio, adhuc sub judicis est. *Conf. Plut. Cim.* 15 *Peric.* 7 et ante omnia *Aristot. Polit.* l. 2, 9 p. 83 *Schneid. et Diodor.* 11, 77. Ex his locis apparet, Areopagum omnino esse debilitatum. Utrum vero homicidii judiciis tunc temporis privatus sit, ut contendunt *Meier et Schömann* in libro: *Der attische Proces* p. 143 et *Boeck Prooem. Ind. Lect. Berol. hib.* 1826—1827, an semper judicia de causis capitalibus exercitaverit, ut ex dubio loco conjectit *Forchhammer in disputatione de Areopago non privato e. t. c.* nondum dijudicatum est, quamvis Boeckhii sententiae assentiar. *Conf. ad controversiam Ciceronem de republ.* 1, 27 (*Ottfr. Müller* l. c. p. 118 not. 4. *Hermann. Lehrbuch der Gr. Staatsalterthümer* §. 109, 6. *Wachsmuth H. A.* 1. 2. p. 60. 61.}

^{***)} *Eumenid.* v. 435. 436 et v. 653. 654.

"Ἐστατ δὲ καὶ τὸ λοιπὸν Αἴγειφ στρατῷ
· Άεὶ δικαστῶν τὸντο βουλευτήριον.

ducimus, sed non desperantem se tragoedia sua populo verecundiam sanctissimi judicii adhuc excitare, idque in integrum restituere posse. *)

Quantopere autem cordi fuerit Aeschylo Atheniensium animos ad conservandam pellere Areopagi auctoritatem, et omnino ad moderationem in republica gubernanda Eumenidum fabula invitare, tamen consilium illud arctissime tragoedia nostra implicatum est, ut per se spectari nequeat. Est enim perfecti poetae, si forte carmine suo praeter delectationem, quam spectat, animum intendat ad rem publicam moderandam, consilium illud ita consequi, ut intrinsecus cum ceteris operis sui partibus sit consociatum. Quod si ea, quae quis ad praesentem reipublicae statum vellet referri, ita fabulae inseruit, ut tanquam in unum corpus redigerit, tum primum arti poeticae funditus satisfecit poeta. Aeschylus legi laudatae tam ingeniouse obedivit, ut, si vel nulla haberemus vestigia consilii, quod in republica ordinanda prosequutus sit poeta, tamen nihil desideraremus, cum omnia simul per se pateant, neque explicatione extrinsecus petita indigeant.

Canticum Chori, quod laudatam Minervae orationem sequitur gravissimum praebet sententiae nostrae testimonium. Chorus enim succens Minervae, quod Orestis causam mandaverit judicio a Dea constituto primum exclamat: Nunc profecto novarum legum pravitas antiquam la-

*) Frustra fuisse Aeschyli oppositionem constat. Hanc Periclis victoriam gravissime sane tulit poeta noster, cum senatum publicum, qui solus adhuc multitudinis furorem coiceret, fractum videret. Quare jure viri docti deceptam poetae exspectationem domicili mutationis causam fuisse acute conjecterunt. (conf. Böttiger: *Die Furienmaske* p. 100, qui post Mugravium primus opinionem illam argumentis confirmavit. Quem sequuntur A. W. Schlegel, *Vorlesungen über dramatische Kunst und Literatur* 1 p. 156 not. et Welker: *Die Aeschylyche Trilogie* p. 521 — 523 ubi uberiorius rem tractavit.

befactat potestatem, si pessima hujus matricidae causa vicerit. Illustratis deinde, quae ex legum perversitate nascantur, mala ad sententiam transeunt Eumenides, quae summam amplectitur eorum, quibus singularis hominis et reipublicae continetur salus. Neque vitam licentiae plenam in qua nulla legis verecundia, nec duro imperio afflictam, ubi omnia metuas, laudandam censeo. Medicoritati Deus robur proposuit.* Quamvis his verbis ad reipublicae conditionem spectet poeta, in qua tempore furerit, quo actae sunt Eumenides, iisque moderationem, et legis verecundiam excitare studuerit, tamen per se quoque apertae sunt sententiae et cum universa fabulae ratione optime simul cohaerent. Non licet nobis fusius scribere de hac consilii politici cum totius operis ratione ingeniosa conjunctione, quamquam operaे pretium esset singula pertractare.

Judicio a Minerva constituto Orestes et furiae subjiciuntur. Apollo praesto est, qui duplicem personam sustinet, tum testis tum socii igiturque patroni. Ad Apollinis aram supplex accesserat Orestes et a Deo lustratus erat. (*φόνου δε τὸνδ' ἐγὼ καθάρσιος* se ipsum dicit Apollo.) (De Apolline purgatore et de universo more sacrificio aliisque ritibus expiandi conf. doctissimam Ottfr. Mülleri disputationem in libro laudato p. 126—140.) Oresti causam fuisse maternae caedis coram omnibus

* Eumenid. v. 500.

*Μήτ' ἄναρχτον βίον, μήτε δεσποτούμενον
Αἰνέσης. Παντὶ μέσῳ τὸ κράτος θεὸς ὥπασεν.*

Quibuscum conjungantur verba praeclara Minervae v. 660—680 quibus civibus suadet, ut reipublicae formam colant, quae nec sine imperio sit, nec unius dominationi subjiciatur, neque ut omnem timorem ex civitate ejificant. Quis enim mortalium, qui nihil timeat, justitiam colat. Hanc igitur judicii majestatem sincero animo reverentes salutare hujus terrae et urbis propugnaculum habebitis, quale nulli alii mortalium generi contigit, neque Scythis, neque Peloponnesi incolis. Hoc modo hunc senatum constituo lucro non inservientem, verecundum et severum, qui semper reipublicae salutem diligentissime custodiet.

Apollo testatur. Controversiam inter Apollinem et furias, cuius vim et rationem jam supra intelleximus, subtilius adhuc et ingeniosius, quam in prima altercatione, explicant partes. Cum furiarum argumenta refellerit Apollo, Minerva, Jovis filia patris amantissima, sententiam fert in favorem Orestis. Comparatur igitur matris caedes cum mariti occisione. Optime Chori, quam exposuimus convenit notioni, si Oresti interroganti, cur vivam Clytemnestram, caede patrata, non persequutus sit, respondet:

Oὐκ ἡνὶ ὅμαιμος φωτὸς, ὃν κατέκτανεν.

verba, quibus in aperto est, non aliud Eumenides tueri foedus, nisi quod natura ipsa sanctum fecerit. Apollo contra ad Jovem ipsum provocans, Chorum acerbe interrogantem, num Jupiter ipse oraculum derit, nullum matri habere honorem fas esse, refutat: non enim idem est mulierem occidi et virum generosum eundemque regiis sceptris a Jove decoratum nefarie per insidias interfici.

Jam vero, cum ad ipsum Jovem totam rem rejecerit Apollo, ostendendum est, justum esse, quod egerit Orestes, et re vera Jovem vindictam jussisse. Quapropter demonstrat, quomodo cum Jovis natura et legibus concinat Dei jussum, quia sanctiore jure utatur vir, quam mulier. *) Quaecunque in medium Chorus protulerit argumentu refutantur tandem gravissima cogitatione, non matrem esse veram liberorum parentem, sed in utero ali ea, quae procreaverit pater. Summum autem esse testimonium, non matre semper indigere patrem, ut proles gignatur, Jovis amantissimam filiam Minervam, quae nunquam a matre sit educata in obscuro ventris specu, sed tota a patre sit profecta. **) Quid si-

*) Eumenid. v. 595—609.

**) Eumenid. v. 627—631 et praecipue v. 632—636.

*Πατὴρ μὲν ἀν γένοιτ' ἄνευ μητρός. Πέλας
Μάρτυς πάρεστι παῖς Ὄλυμπίου Διός,*

bi velit poeta, apertum. Confirmat enim, sanctius esse viri jus, quam mulieris, et illustrat simul eam vim et facultatem, quae ex sua ipsius potentia ad procreandum apta sit, cum non alia quadam naturae vi egeat adjumento. Nonne igitur omnino mentis de natura victoria cogitatione illa explicata est? Nonne mentis motus et actio spontanea, quae non aliunde petit materiam sed universam procreandi facultatem in se insitam habet, ingeniosa illa in Minervam provocatione significata est? Jam intelligimus, cur per liberam Minervae voluntatem absolvitur Orestes, quippe qui obtemperaverit Diis Olympiis, quorum summa ratio et potestas in Minerva conspicitur, quae a Jove solo nullaque adjuvante naturae vi et statim perfecta in lucem prodiit.

At quomodo furis eripitur Orestes? Judices a Minerva constituti inter damnantes et absolventes pariter divisi sunt. Neque injuria fluctuant suffragia, quippe quum hominum arbitrio, qui nihil nisi scelus scelere vindicatum et familiam familiae parte laesam respiciant, culpa par sit juri, quod defenderit Orestes. Minerva, ad quam confugerant partes, sola controversiam disceptare potest. Jovis filia, quae non matri genitrici originem debet, ipsa virgo sempiterna, ex recentiorum Deorum ordine, calculum pro Oreste absolvendo adjicit. Hoc modo neque non agnoscit furiarum jus, sed sanctiorem censem necessitudinem, cuius caput est vir, quam eam, quae a natura proficiscitur, et mulieris viribus nititur. *) Minerva igitur, cum sententiam ferat in favorem Orestis, ju-

Oὐδὲ ἐν σκότοισι νηδύος τεθραμμένη,

**Ἀλλ’ οἶον ἔργος οὕτις ἀν τέκοι Θεός.*

*) Eumenid. v. 704—713, ubi Minerva, postquam suffragia tulerant judices, renunciat, Orestem viciisse, cum calculi pari numero accusatori et reo fuerint. Suam ipsius declarans sententiam addit:

Tὸ δὲ ἄρσεν αἰνῶ πάντα, πλὴν γάμου τυχεῖν,

**Ἀπαντει θυμῷ, κάρτα δὲ εἰμὶ τὸν πατρός.*

stitiae custodem et clementissimam sese exhibet Deam. Furiae igitur non ejiciuntur, sed earum agnoscitur potestas, sed talis, quae menti iudeoque sanctiori et graviori subjicienda sit imperio.

Sed non sponte cedunt Eumenides, quia se contémptas existimant, et nullam admittunt sceleris lustrationem. Quare exacerbatus furorem suum in Minervam effundit Chorus, et, rabie corruptus, Athenis noxas immanes horrendasque in terram redundantes minatur.*) Saevitiae furiarum Jovis filia maximam opponit moderationem et benignitatem. Hac vero eximia humanitatis specie Minerva furiis longe superiorem sese exhibet, et quodammodo futurae cum iis reconciliationis spem jucundissimam exprimit. Minerva enim intelligit, tum primum ipsius regnum esse confirmatum, cum Eumenidum natura, quae pariter ac ceteri ex antiquo Deorum genere Olympiorum menti adversatur, permutetur in benevolentiam erga Minervam ejusque sedem excelsam, Athenas.

Furias contumelia ob eruptum Orestem contristatas Minerva consolatur. Non enim eas esse victas affirmat, sed paribus suffragiis causam exitum esse sortitam; **) furiarum honorem igitur esse imminutum. At non statim Eumenides miti et placato Minervae animo cedunt, sed earum furor iterum prorumpit. ***) Attamen non missas facit furias, neque vi eas superat Jovis filia, sed assidua et suavissima oratione, qua immutabilem animi sui benignitatem declarat, furiarum iram tandem permulcit, easque Athenis proprias reddit. E pervicacia et tenacissima Eumenidum oppositione ingentem mentis vim conjicias, qua furiae, antea non nisi malorum et execrationis causam agentes, in benevolas mutatae sint. Sic Athenarum patronus justitiam reconcilians cum humanitate omnia mala a terra Attica partim propulsavit, partim in prospera veriit. Olympii reportarunt victoriam, at antiquum Deorum genus non

*) Eumenid. v. 748—760 et iteratum canticum v. 773—785.

**) Eumenid. v. 761, 762. Aserit Minerva:

*Oὐ γάρ νενίκησθ', ἀλλ' ἵσοψηφος δίκη
Ἐξῆλθ' ἀληθῶς, οὐκ ἀτιμίσ σέθεν.*

In sequentibus placabilem se praebet Choro ejusque iram lenire studet v.
767—773 et v. 786—800.

***) Eumenid. v. 801—809 et strophae repetitio v. 832—840.

ejectum est, sed, cum nihil venerationis ei detrectaverint superi, in honorem restitutum est, ut vel ad hominum felicitatem conducat et reipublicae prosperitatem tueatur.

Si vero furiarum, quas Athenis immittere conantur, calamitates accuratius exploramus, perspicuum est, eas tum mala, quae e natura nascentur,^{*)} tum quae ab effrenata proficiscantur libidine^{**) amplexi. Minervae igitur victoria, qua furiarum iram delinivit, mentis rationisque dici potest palma. Dum enim sedem in urbe Athenarum sibi oblatam accipiunt furiae Minervaeque contubernium, summam hoc modo nobis inter naturae vires et ingenii agitationem poeta repraesentavit concordiam, et tanquam imagine expressit cogitationem, perfectam felicitatem summa inter naturam et mentem, inter licentiam et severitatem contineri harmonia, neque, altera parte neglecta, alteram posse vigere et convalescere.}

Quam ingeniose autem Aeschylus, cum inter anticos et recentes Deos componeret gratiam, et in concordissima eorum conjunctione summam reipublicae gloriam et salutem poneret, Athenas simul illustravit! Minerva Athenarum patronus et, ut ita dicam, universae reipublicae divina vivaque mens, antiquissimum illud certamen tulit, et ita Athenas augustam humanitatis sedem renuntiavit, ubi justitia firmam cum benignitate contraxerit amicitiam, et civium mores beatam inter libidinem et rigorem teneant mediocritatem. Cum in tanta virtute reipublicae resideat spes, confidenter Eumenides omnis generis prosperitatem Atheniensium populo vaticinari possunt.

^{*)} Eumenid, v. 775—781 et antea 750—756.

^{**)} Eumenid. v. 820—825, ubi eas obtestatur Minerva, ut libidines non vinculis expediant effrenatasque reddant cupiditates.

H. ROETSCHER.

Errata typographica.

P. 3 l. 15 pro: matrocidae lege: matricidae et pariter p. 4 l. 4. P. 6 l. 9 pro: diligenter: diligentissime. P. 7 l. 8 pro: minitati: minitatae. P. 7 l. 15 pro: imposuit: imposuerit. P. 8 l. 25 pro: totus dedit: totum dedidit. P. 13 not. l. 3 pro: audirent: audiverunt. P. 16 l. 2 pro: mala: malis. P. 16 l. 4: "
